



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De  
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

Quæstio XVI. In Tit. XVI. De Matrimonio contracto contra interdictum  
Ecclesiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

ex his verbis non colligitur, ullum conjugium, sed solum casta simul habitatio illis permittitur, quae non facit matrimonium.

135. Quando in c. *Requisisti* 33, q. 1. dicitur quod si non impeditur non potest ea (muliere) uti pro uxore, habeat ut sororem; si autem retinaculum conjugale voluerit rescindere; maneat utriusque innupti: addit Pontius cit. n. 5. eos, qui hoc casu putant, matrimonium solvi, seu rescindi, ignorantia antiquitatis habi, quod ignorent, ea formulam (habeant ut uxore) tantum significari, conjuges illos non daturus operam ijs actibus, quos licitos efficit maritale consortium inter eos, qui obeundo muneri potentes sunt; sed caste victuros, ac si cum sorore versarentur, manente tamen vinculo conjugij. Nam haec interpretatio non recte procedit; si enim etiam stante tali impotentia manet vinculum conjugij, saltem rati, quomodo illis permittitur illud retinaculum conjugale rescindere, si volue-

rint? verum enim matrimonium, icet ratum tantum, libero conjugum consensu rescindi non potest; at hoc retinaculum conjugale in, dato casu, libero non impediti consensu, rescindi potest; ergo non est verum matrimonium. Accedit clara Sixti V. declaratio huic interpretationi aperte contraria in n. 1315. Igitur in hoc textu per conjugale retinaculum non venit verum sed putativum conjugium, quod ipsi rescindere non possunt: sed, si sine auctoritate Ecclesiae rescindant, innupti remanere debent, ne non solum legitime priori putativo matrimonio alijs scandalo sint, transitu ad alia vota. Ex his tandem concluditur, impotentiam, quam diximus esse impedimentum dirimens, dirimere matrimonium non in jure mero humano, & Ecclesiastico, sed naturali; adeoque etiam inter infideles ejusmodi matrimonia irrita, ac nulla esse. Ratio est ex dictis.

QUAESTIO XVI.

In Tit. XVI. De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiae.

136. Interdictum Ecclesiae hic sumitur pro Ecclesiae prohibitione, ne inter aliquos matrimonium celebretur, vel absolute, vel certo tempore, aut in certis circumstantijs. Sumi potest laetè pro qualibet matrimonij Ecclesiastica prohibitione, & sic comprehendit omnia impedimenta etiam dirimentia: stricte autem hic supponit pro interdicto, seu prohibitione facta à superiore Ecclesiastico, ob legitimam causam interdicens matrimonium celebrari ad tempus, donec melius constet de habilitate contrahentium, vel caveatur scandalo inde nato, vel nascituro. Unde sub interdicto Ecclesiae in hoc titulo non venit tempus feriatum, quo matrimonium solenniter celebrare non licet; sed solum Ecclesiae vetitum, hoc est prohibitio, ut expositum est. Nam tempus feriatum, & Ecclesiae vetitum significant distincta impedimenta impedientia tantum; illud enim non interdicit matrimonium, sed tantum ejus solennitatem, ut dicemus infra; istud vero ipsum matrimonium.

137. Not. autem, non tantum Pontificem, sed etiam ordinarium, imò & Parochum, posse suis ex justa causa matrimonium ad

tempus aliquod interdicerere, ut si denuntietur impedimentum, vel aliquid simile, ratione cujus matrimonium ab illis iniuri non expedit, donec vel de veritate constet, vel malis prudenter timendis caveatur. Et quamvis Parochus, imò & Decanus, aut Archidiaconus, juxta Trid. sess. 24. de Reform. c. 20. §. Ad haec, non habeat officium Judicis Ecclesiastici, cujus est causas matrimoniales cognoscere, ac pertractare; est tamen officio superior suorum Parochianorum, cui convenit justa causa id exigente, matrimonia ad tempus impedire, quando contrahere volentes, denuntiantur laborare aliquo impedimento; vel ex eo contractu nascitura non levia scandala, prudenter timeri potest; colligitur ex cit. c. fin. §. fin. ibi: Sane si Parochialis Sacerdos tales conjunctiones (nimirum personarum impedimento laborantium) prohibere contempserit &c. de quo plura Sanchez l. 7. hic d. 6. n. 6.

Hinc quando dicitur, interdictum Ecclesiae tripliciter fieri. 1. per Canonem, quo inhibentur solum solennitates nuptiarum, non autem ipsae nuptiae, non solennes. 2. per Judicem Ecclesiasticum. 3. per sponso-

Uu 2 rum



rum *Parochum*: procedit solum, si interdictum sumatur late; non autem, prout de illo agitur hoc titulo; sic enim comprehendit solum prohibitionem ipsius *matrimonij* ex causa factam ad tempus à Judice, vel Superiore Ecclesiastico; & propriè inter impedimenta matrimonium solum impedientia venit sub nomine *Ecclesie vetitum*; ac de illo agitur *c. fin. q. Cum autem, de clandest. despons. ibi: cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expressè, donec quid fieri debeat super eo, manifestis conlisterit documentis. c. Litera. 1. c. Ex literis 2. h. t. his præmissis:*

### ARTICULUS I.

*An matrimonium contra vetitum Ecclesie sit validum?*

1329. *Re.* esse validum, sed illicitum, nisi interdicto adjecta sit clausula irritans actum, contra factum. Ratio primi est ex *c. 1. h. t.* ubi mulier quæ contra simplex Ecclesie vetitum (nimirum contra mandatum Episcopi) ne stante dubio de impedimento cum alio, circa quem impedita credebatur, contraheret, permanere finitur cum tertio viro, cui se postremo copulavit. & *c. 2. eod. ibi: Licet enim contra interdictum Ecclesie ad secunda vota transire non debuisset, non esse tamen conveniens, ut ob id solum, sacramentum conjugij dissolvatur.* Ratio secundi est ex eodem textu, ubi, quod contra interdictum Ecclesie ad secunda vota transierit, punitur, ibi: *etsi alia penitentia eis debeat imponi; quia contra Ecclesie prohibitionem id fecerunt.*

1330. Dices 1. ex dictis capitulis non probari, valere matrimonium inicum contra interdictum *Papæ*, qui solus potest statuere impedimenta dirimentia. Nam in cit. capitulis solum agitur de matrimonio contracto contra interdictum superioris Ecclesiastici, inferioris *Papæ*. Illi enim non possunt interdicere matrimonium cum clausula irritante. *Re.* N. ant. nam etsi casus in cit. cc. non fit, nisi matrimonium contractum contra interdictum *Prelati Papæ inferioris*, decisio tamen (quod non sit conveniens, ut, ob id solum, nempe simplex interdictum, carens omni clausula irritante, sacramentum conjugij dissolvatur) non fundatur in eo, quod fuerit contra interdictum

*inferioris*, sed, quod fuerit contractum contra interdictum *Ecclesie*, ut habet textus, præcindendo, an provenierit à valente, vel non valente matrimonium interdicere, seu prohibere, lege præcisè prohibente actum, vel etiam annullante. Certum enim est, longè diversa esse, aliquem actum interdicere interdicto illum præcisè prohibente; & aliquem actum interdicere interdicto illum annullante. Nam hæc separabilia sunt: cum certum sit, quod multa fieri prohibeantur, quæ facta obtinent roboris firmitatem. *c. Ad Apostolicam. 16. de Regularibus.* Quare, cum dicitur, quod contra interdictum, & ordinem Ecclesie factum est, ratum non haberi tam divina, quam humane legis proclamatur auctoritas. *c. 1. q. videtur. 35. q. 6.* intelligendum venit de interdicto cum clausula ejusmodi actum vel generaliter, vel specialiter irritante; non autem secus; præsertim in odiosis, qualia sunt, quæ libertatem conjugiorum restringunt, de quibus plura in tit. de constitut. l. 1. decretalium.

Dices 2. in *c. Tua. 4. desponsa duorum*, expressè dicitur, quod, si qui contra interdictum sibi matrimonium appellent, eis matrimonium lite, seu appellatione pendente, debeat à Judice, unde appellatur, in Ecclesia publice interdici; & si nihilominus cõtraxerint, debeant separari, licet nulla ibi mentio fiat clausule irritantis, etiã generaliter. Deinde in *c. ad dissolvendum. 13. de despons. impub.* ubi, cum quidam Joannes contraxisset matrimonium cum puella nedum septenni, alijverò hoc matrimonium accusarent propter consanguinitatem, & Joannes varias exceptiones opponeret; Innocentius III. statuit, ut denuntiationes impedimenti admittantur, & interim pendente cognitione, & ordine judiciario, in puellam nihil attentetur, clausulam generalem adjiciens, quod, si contra interdictum suum in præjudicium ipsius (nimirum puellæ) aliquid fuerit attentatum, irritum esse decernimus & viribus omnino carere; ergo matrimonium contra interdictum *Papale*, est ipso jure nullum. *Re.* quod in *c. Tua*, solum dicatur: si contra interdictum Ecclesie, publice factum, venire præsumpserint, matrimonium tam præsumptuosè contractum poteris irritare, ubi glossa, *V. poteris irritare*, ait: per irritationem intelligi, separationem, quousque cognoscatur de im-



de impedimento; & si causa prohibendi fuit perpetua, ea probata separandos lata sententia divortij inter eos; non probata, manufiros simul: si autem causa prohibendi fuit solum temporalis. v.g. tempus feriatum, vel sponsalia priora cum alio, non separandos quoad vinculum, sed puniendos propter contemptum Ecclesie interdictum.

1332. Ex hoc colliges ex presentia c. Tua non recte probari nullitatem matrimonij initi contra interdictum Papale. 1. quia hic agitur solum de interdicto Archiepiscopi Genueusis, a quo fuit appellatum ad S. Sedem. 2. quia ratio, propter quam dicitur, poteris irritare, non assignatur precise interdictum Ecclesie, sed, quod contra interdictum Ecclesie publice factum presumptuose contraxerint. 3. quia irritatio ea solum temporanea est, donec cognoscatur de veritate cause, propter quam matrimonium illis interdictum est. 4. quia ad summum hoc inde inferitur, quod matrimonium contractum contra interdictum Ecclesie irritandum sit, quando causa prohibendi est perpetua, & probata, impedimentum nempe dirimens, quod denuntiat; sic autem causa ipsa jam continet irritationem, si subsit.

1334. Ad. 13. de despons. impub. in n. 1331. & cum glossa V. irritum; quod ea finalis clausula non decernat irritum matrimonium, sed iudicium, si quid in priori iudicio accusationis, in prejudicium puellae, factum fuerit. Unde subiungit, si taliter interdicti nihilominus contraherent, separandos tantum ad tempus. c. cum in Apostolica. de spons. quousque cognoscatur de impedimento c. Ex literis 2. h. t. ibi: qui (nimirum Archiepiscopus orta suspitione impedimenti) sub anathematis interminatione prohibuit, ne antequam de prescripto negotio plene constaret, vir ad secunda vota transiret; & infra: Mandamus, quatenus si nihil constituerit, quod impediat, prater consensum de futuro, qui inter prefatos R. & M. asseritur precessisse, secunda matrimonium inviolabiliter observanda, sub lato appell. obstaculo, iudicetis. & c. de Muliere. 3. eod. ibi: illos autem, qui pro consanguinitate prohibentur conjungi, & postea contra interdictum Ecclesie, se receperint, excommunicationi debes subijcere, & tamen separentur; quousque

legitimè cognoscatur, utrum eorum matrimonium possit, & debeat iure stare.

Quod autem separatio matrimonij, quae 1335. precipitur, si contractum est contra interdictum Ecclesie, non sit vinculi solutio, sed tantum cohabitationis, patet ex cit. c. fin. de muliere. ibi: tamen separari, quousque legitimè cognoscatur, utrum eorum matrimonium possit, & debeat iure stare. Ex quo sequitur, taliter contrahentes graviter quidem peccare, cum excommunicationi subijciantur; quae non nisi pro gravi peccato ab Ecclesia statuitur. c. Nemo 11. q. 3. & tenet communis cum Barbosa in Repertor. juris, lit. E. Verb. Excommunicatio vers. 6. non tamen, ex eo, quod contra interdictum contraxerint, simpliciter, & perpetuo separari: sed solum ad tempus, matrimonio nihilominus valituro, si absit aliud impedimentum.

Præter hæc not. 1. interdictum Ecclesie circa matrimonium contrahendum 1336. tripliciter posse intercedere. 1. cum celebrari certis temporibus prohibetur, quo intelligitur Ecclesie vetitum seu interdictum per legem, de quo in c. non oportet, elig. 2. 3. q. 4. & c. Capellanus, de feriis, a nobis relat. supra. Deinde quando lite pendente super matrimonio, vel hoc, vel aliud specialiter interdicatur, quo intelligitur interdictum per iudicem, de quo agitur c. Tua nos, de sponsa duorum, & c. 1. ac 2. h. t. Tertio, cum denunciatio impedimento, vel habita eius probabili suspitione Parochus matrimonium contrahendum prohibet: & dicitur interdictum per Parochum, de quo agitur in c. Cum inhibitio. 2. sanè, de clandestin. despons. De duobus postremis interdictis hoc titulo agimus, de primo autem infra.

Not. 2. in questione (an matrimonium 1337. celebratum contra interdictum Ecclesie, nullum sit; an vero valeat, & sustineatur? inuncta solum penitentia contrahentibus) diversitatem opinionum nasci ex diversis juris textibus, qui satis aperte inter se pugnare videntur. Nam valere, inuncta solum penitentia contrahentibus, satis clarè videtur probari ex textibus allatis a n. 1329. Non valere, deduci videtur. 1. ex c. ad dissolvendum, de despons. impub. ibi: Quod, si contra interdictum nostrum in prejudicium ipsius aliquid fue-



rit attentatum, id irritum esse decernimus, & viribus omnino carere. Secundò ex c. Tua, de sponsa duorum, ubi dicitur: si contra interdictum Ecclesie publicè factum venire præsumperit, matrimonium tam præsumptuosè contractum poteris irritare. Tertio ex c. contradicimus in fine. 35. q. 2. & cap. 1. hoc titul. in 1. collect. cujus pars extat in cap. videtur, 35. q. 6. ibi: Nam, quod contra interdictum, & ordinem Ecclesie factum est, ratum non haberi, tam divina, quam humane legis proclamata auctoritas.

¶ 338. Ob hæc juris testimonia in diversas opiniones abeunt DD. nam glossa in præsentibus, textus, negantes valorem, vult procedere, quando tali prohibitioni dedit causam impedimentum perpetuum, v. g. cognatio, &c. affirmantes autem, si causa temporalis, v. g. sponsalia cum alio, incestus, aut aliud impedimentum solum impediens: Gonzalez in c. 3. h. t. n. 2. refert, Patrem Sanchez l. 7. de matr. d. 1. & Zyprum in consultat. Canonice. ad h. t. consult. 1. censere, non valere matrimonium celebratum contra interdictum Papæ; valere, contra interdictum aliorum Prælatorum: sed Sanchez d. 1. n. 9. de hac questione nihil habet; at d. 2. n. 2. ait, fateri omnes, ubi prohibitio matrimonij fuerit facta à Prælato inferiori, non reddi irritum matrimonium adversus eam factum; quia Prælatus Pontifice inferior impedimentum dirimens indicere non potest, in altero casu, ubi controvertitur de valore matrimonij celebrati contra interdictum summi Pontificis (postquam à n. 3. retulisset sex doctorum opiniones in hac materia.) per plures conclusiones resolvit propositam questionem, & docet, n. 10. matrimonium initum contra simplicem prohibitionem summi Pontificis (carentem scilicet decreto irritanti) non esse invalidum; cujus ratio est ex c. 2. h. t. aliàs enim omnia matrimonia contra impedimentum solum impediens juris tantum Pontificij, forent irrita, & nulla. Hinc ad jura superiùs allata respondetur, ea, quæ non continent clausulam irritantem, non inducere nullitatem matrimonij contra simplicem prohibitionem Pontificiam celebrati, prout à nobis dictum est à n. 1330.

¶ 339. Dices: ergo saltem irritum erit matrimonium celebratum contra Papale inter-

dictum cum clausula, seu decreto irritante. Ante respons. not. clausulam irritantem, quæ apponitur prohibitioni matrimonij celebrandi, posse esse solum generalem, quæ se non refert specificè ad matrimonium, qualiter fieret, si Pontifex prohibens matrimonium celebrandum generaliter dicat, si quid contra gestum sit, fore irritum; & sine 2. si se specificè refert ad matrimonium; quod dupliciter fieri potest, nimirum si causa interdicendi sit, vel temporalis, vel perpetua. quo posito:

re. ad object. cum dist. illati: ergo saltem irritum erit matrimonium celebratum contra Papale interdictum cum clausula irritante solum generali, se non referente specificè ad matrimonium; vel etiam cum clausula specificè se referente ad matrimonium, sed ex causa solum temporali N. cum clausula irritante, specificè se referente ad matrimonium. C. illatum. Dicendum igitur, quando à Papa interdicatur matrimonium cum decreto generaliter irritante, quin specificè se referat ad matrimonium, hoc contra tale interdictum initum non esse invalidum; ita Sanchez cit. l. 7. d. 2. n. 11. quia cum matrimonium sit res ardua, & gravissimum negotium illud irritare, petit clausulam specificam; & irritatio illa generalis sufficienter suum fortitur effectum dicendo, quod factum contra interdictum non valeat in alicujus præjudicium, quo sensu accipitur c. penult. de despons. impub. juncta glossa V. irritum.

Similiter validum erit matrimonium celebratum contra Papale interdictum cum clausula irritante, etiam specificè referente se ad matrimonium, si prohibendi causa sit solum temporalis, non autem, si perpetua. Ratio primi est, quia temporalis causa plus non petit, quam ut matrimonium sit nullum non simpliciter, sed solum in quantum assert præjudicium liti, aut controversiæ alicui, propter cujus pendenciam matrimonium ad tempus interdicatur; aliud enim est, si probatio sit absoluta, & causa perpetua, quia cum tunc nunquam licita esse possit promissio matrimonij, factum nihilominus contra prohibitionem cum clausula specifica matrimonij hoc irritante afficit ipsum contractum, & non aliquid merè extrinsecum.



141. Not. 3. quamvis dixerimus validum esse matrimonium initum contra Papale interdictum cum clausula solum generaliter irritante, vel etiam specialiter, sed ex causa merè temporanea; si tamen interdictum sit legitimum, ejus transgressione in delicti penam tales conjuges ad tempus esse separandos, ex c. 1. h. t. ibi: *Mandamus, quatenus si est ira, prefatam mulierem, ne mandatum inuim contemptibile videatur, ad domum matris redire compellas, & imposita sibi de tanto excessu poenitentia condigna, postquam in domo matris per mensem steterit, ad tertium reverti permittas.* Nec obstat c. 2. eod. tit. ubi id matrimonium minimè separandum esse decernitur. Nam intelligitur de perpetua separatione. Atque ita docet gl. c. *Tua Fraternalitas. Verb. Poveris, de sponsa duorum*: ubi adverte, *mensum*, qui assignatur pro tempore separationis, non poni nisi exempli causà, ut innuatur, tempus illud esse arbitrarium; non autem ad restringendam Judicis potestatem. In eo autem separationis tempore Reo abstinendum erit à petitione debiti; non autem à redditione, si alter non Reus, sed innocens petat, nisi ambo essent rei delicti. Huic tamen poenae locus non esset, ubi foret periculum incontinentiæ, consequenter illi subroganda foret poenitentia alia, ut cum pluribus docet Sanchez *cit. l. 7. d. 3. à n. 14.*

## ARTICULUS II.

*An valeat matrimonium contra interdictum Ecclesie, proveniens à censura.*

142. In hac questione in dubitationem venit interdictum Ecclesie ratione censuratum, è quibus sunt *interdictum & excommunicatio*. Illud, in quantum supponit pro censura Ecclesiastica, est poena Ecclesiastica, quæ quis à perceptione quorundam Sacramentorum, à divinis officijs, & Ecclesiastica sepultura separatur, ut docet Suarez d. 32. de *Censur. s. 1. n. 3.* Excommunicatio autem privat usu activo & passivo sacramentorum, communicatione cum alijs fidelibus, & alijs Ecclesie bonis atque fructibus, de quo expressè agimus *lib. 5. tit. 39.* his positis.

143. Questio est, an valeat matrimonium in-

terdicti, cum alio, vel non, vel pariter interdicto? R. affirmativè cum communi; quia nullus est in jure textus irritans, & invalidans matrimonium interdicti, vel tempore, & loco interdicto. In questione autem, an etiam licitè contrahatur? negativam tenet Suarez *cit. d. 33. s. 1. n. 51.* Pontius l. 6. c. 9. n. 4. & alij; rationem dant; quia matrimonium non est inter Sacramenta excepta, quorù perceptio tempore, vel loco interdicto prohibetur. Ex quo sequitur, secundum hos authotes saltem sponsalia de futuro, licitè celebrari tempore, vel loco interdicti, aut ab interdictis, cum contra hæc nec eorum, nec alia ratio militet. Probabilius tamen est, etiam licitè tunc matrimonia celebrari. Nam, quando propter interdictum, quæ est censura, perceptio quorundam Sacramentorum, & divina officia prohibentur, de illis Sacramentis non exceptis rectè intelligitur, quorum ministratio propriè est actus, *principaliter spiritualis*, & quidem Ministri Ecclesiastici, nimirum ad hoc specialiter à Christo destinati ex potestate collata; non autem, quando præcipua actio est potius merè civilis, & solum accessoriè sacramentalis, qualiter contingit in matrimonio principaliter consistente in contractu civili, à Christo gratiosè assumpto ad rationem Sacramenti, cujus ministri sunt soli contrahentes, nulla deputatione Christi, vel etiam Ecclesie, functionem suam peragentes. Et ita tenet Covarruvias in c. *Alma. p. 2. q. 2. n. 7.* Abbas in c. *Non est. 11. de sponsal. & alij.*

Questio est 2. an excommunicati *va. 1344.* licitè contrahant sponsalia, & matrimonia? R. affirmativè, quia talis actus nullo jure irritante prohibitus est excommunicato vel excommunicatione majore, vel minore; sed *præcisè prohibente*. Et ideo *excommunicatus potest contrahere*, intellige, *validè*, per Mascardum de *Probat. concl. 705. n. 13.* Emman. Roderic. in *Summa c. 82. n. 14.* & contractus factos cum excommunicato, validos esse, tenet Covar. in c. *Alma p. 1. q. 1. à n. 9.* Filiucius *tr. 12. de censur. c. 9. n. 201.* apud Barbof. *loco cit.* Accedit, quòd Innocentius III. in c. *Significasti 6. de eo, qui duxit*, legitimum pronuntia-verit matrimonium a cive Spoletano, in excommunicatione initum, qui meretri-

cem,



cem, cui vivente uxore adhæserat, uxore mortuâ sibi desponsavit, si neuter eorum in mortem uxoris machinatus est, nec ea vivente sibi fidem dederunt de matrimonio contrahendo. Nam cum P. Civis Spoletanus quandam mulierem legitime duxisset uxorem, ac eâ relicta cuidam meretrici adhæsisset, nec ab ejus contubernio ad thorum legitimum posset revocari, latrâque in eum excommunicationis sententiâ; & cognita suâ uxoris morte dictam

meretricem desponsasset, dubitante de valore hujus desponsationis Episcopo Spoletano, Innocentius III. respondit: quod, *si aliter eorum in mortem uxoris desponsaverit machinatus, vel ea vivente sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo, legitimum judices matrimonium supradictum, excommunicato munus absolutionis (si petierit) juxta formam Eccles. sue impensurus.*

## QUÆSTIO XVII.

In Tit. XVII. Qui filij sint legitimi?

1345. Postquam in superioribus actum est de matrimonijs, & impedimentis eorum; hoc titulo congruè agitur de filijs, seu natis in vel extra matrimonium, ut constituatur regula, qui filij sint, vel non sint, censendi legitimi? Cùm ab hoc pendeant complures utriusque juris effectus, ut constabit ex dicendis. Supponendum autem, nomen *filiorum* hic sumi pro his, qui ex nobis geniti sunt sive mares sint, sive feminae. Hinc in presenti non veniunt ij, qui dicuntur filij *legitimi tantum*, qui scilicet *non naturâ sed lege filij sunt*, ut adoptivi; ad quorum distinctionem alij qui naturâ tales sunt, dicuntur *naturales, & legitimi, vel illegitimi*, de quibus in sequentibus.

### ARTICULUS I.

Qui filij dicantur legitimi, vel illegitimi?

1346. Filij & filia, naturâ tales, dividuntur in *legitimos & illegitimos*; *legitimi in genere* dicuntur, qui vel ex justis nuptijs procreati suat, vel postea legitimantur, ac juris fictione ex justis nuptijs procreati censentur in ordine ad juris effectus: *illegitimi* verò in genere illi sunt, qui neutro modo se habent: *illegitimi*, subdividuntur in *naturales, & spurios*. Ubi notandum, hanc divisionem alium sensum habere in *jure civili*, alium *jure Canonico*. *Jure civili naturales* sunt, qui nati sunt ex concubina domi retenta, non autem vulgò, seu meretrice vagâ; qui autem nec ex matrimonio legitimo, nec extra hoc ex concubina domi retenta, sed vulgò nati sunt, eodem *jure civili spurij* appellantur:

jure autem Canonico *naturales* dicuntur omnes, qui nati sunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel saltem natiuitatis, matrimonium legitimum consistere potuisset; *Spurij* autem illi soli, qui nati sunt ex parentibus, inter quos nec tempore conceptionis, nec natiuitatis legitimum stare matrimonium potuisset. His accedit aliud discrimen, inter jus Canonicum, & civile. 1. quòd juxta illud etiam ij legitimi censentur, qui nati sunt ex nuptijs, seu matrimonio re ipsa irrito propter impedimentum dirimens, & occultum, sed tamen bonâ fide parentum, in facie Ecclesiæ, publicè, & sine contradictione, contracto, ut colligitur ex *Ex Tenore. h. t.* & infra pluribus exponemus. 2. quòd concubinatus (de quo prius) jure civili permixtus dicitur, non hoc sensu, quòd approbetur, sed solum non puniatur.

Ad rectam dictorum intelligentiam not. 1. eos qui nati sunt ex justis nuptijs, jure canonico reputari legitimos, etsi nuptiæ non sint *juste jure*, sed *tantum patritivè*, propter bonam fidem parentum, ut monuimus num. priori, & hos ab Authoribus, & Canonistis, vocari *legitimos, & naturales*. 1. ad distinctionem à *legitimis tantum, & illegitimorum*. Nam *illegitimi*, quos diximus jure Canonico vocari *naturales*, à compluribus naturales quidem vocantur, sed cum addito, *naturales tantum*, ut distinguantur à *spurjis*, qui ab iisdem vocantur *non naturales*, nimirum tales, qui procreati sunt à parentibus legitimi inter se matrimonij, nec tempore conceptæ, nec natae prolis, capaces, de quo videri potest Laym. l. 5. rr. 10. p. 3. c. 5. Not. 2.